

NOS DEI GRATIA,  
GEORGIUS JUNIOR, HASSIÆ LANDGRAVIUS,  
COMES IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIGENHAINA,  
NIDDA, ISENBURGO ET BUDINGA &c,

WS 1644

Rector Academiae Marpurgensis,

OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS GRATIAM ET CLEMENTIAM.



**D**eus, justissimus ille Judex, nos in ista prope dolori tempora reservavit miserima, quibus merito cum Prophetâ Jeremiâ cap. 14. v. 19. ex profundis cordium nostrorum penetrabilibus, dolendo & ingemiscendo sibiliter exclamemus: Expectabamus pacem, sed non (venit) bonum: & tempus curationis, sed ecce venit terror! Per quot namq; annos a Deo petivimus & expectavimus restitutionem pacis! Et tamen illa non tantum non est restituta, sed bellum in Germaniâ & extra illam, magis magisque invaluit, & singuli anni subsequuti, sunt progressus facti deteriores & miseres. Hujus tanti mali ingravescentis causa non est quæpiam Dei nostri Altissimi dîxæ exæxia, quæ ab ipso longissime abest, sed ab hominibus pessimè continuatum peccandi studium. Quod iram Dei adversus nos aggravat, & fatales pœnas augmentat. Vbi enim non desunt hominum flagitia, ibi neq; cessant Dei supplicia: & ubi illa auferunt, ibi quoq; hæc ingravescunt. Hoc esse verum, tota etiam Germaniâ, cum suo ingenti, quod sustinet, damno contestatur. Summè ergo necessarium est, ut à peccatis nostris pœnitentia iialiter desistamus, eorumq; veniã in Christi, Mediatoris nostri unici, nomine, Deum demissimè rogemus, & fructus pœnitentiã dignos proferamus, nostriq; Officiũ labores fideliter & alacriter faciamus. Maledictus enim est, quisquis opus Domini facit negligenter. Vt igitur Studiosi sciant, quoniam Clarissimi, Nobis singulariter dilecti, hujus Academiae Professores, instanti hyeme, hic publicè & privatim legendo, disputando, explicando &c, cum Deo præstituri sint, ideò designationem eorum hic subijcimus, ipsos omnes etiam atq; etiam gratiosè moneantes, ut decenter cogitent & probe observent, sese non esse cæcos Ethnicos, aliòve Infideles, extra Ecclesiã Christi pœnitentiã constitutos, sed Christianos, qui Diabolo, omnibusq; ejus operibus, & impio mundo renunciãrunt, & contra, Deo fidem & obedientiam perpetuam, & Nobis in sui immatriculatione, pietatem, probitatem, diligentiam & obsequium debitum sanctè promiserunt. Faxit Altissimus Iehova, ut hæc Academia sit & maneat officina divinæ Majestati gratissima, totiq; Republicæ Christiana, ut & Patria nostra universa utilissima, ex qua, per divinam benedictionem, quàm plurimi pie & solidè eruditi & periti viri prædeant, qui gloriam divinam longè lateq; propagent, cælumq; plantent & terram fundent, atq; tandem in cælo, ut nitidissima Firmamenti sidera, in omnia secula gloriose coruscent, & sanctam Trinitatem, in aeterna beatitudine, perpetuò collaudent. P. P. MARPURGI Die 25. Augusti Anno Christi M. D. C. XLIV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

*Justus Fesvrbornius, S.S. Theologie D. & Professor, & p. r. Academiae hujus Pro-Rector, Lektionibus publicis ulterius ostendit, quomodo multi Calviniani, divinæ veritatis radiis convicti, in plurimis fidei nostræ Articulis ad nos accedant, & suos proprios contribules refellant, simulq; ubi illi πρὸς ἡμᾶς adhuc foveant ac tegant, perspicuè detegat. Præterea in Collegio suo conclusionatorie perget, aliæque Exercitia superaddet.*

*Meno Hannekenius, S. Theol. D. ejusdemq; & Hebr. Ling. Professor, publicè in Levitico Mosaiico progredietur, eo absoluto, Numeros aggressurus. Privatim Collegium Theologicum examinatorium, quo quæstiones Pontificiæ ventilabuntur, continuabit. In Hebræis & Syro Chaldæis quoq; suam operam φιλολογίῃς deferet.*

*Joh. Henricus Tonsor, S. Theol. D. Prof. & Pædagog. quæstionum maxime controvertarum, quas superiore semestri incepit, ἀνάλογῃ brevem & planam, bono cum Deo, continuabit. Addet etiam Collegia Theologica Disputatoria & Explicatoria.*

IN FACULTATE JURIDICA.

*Justus Simolt cognomento Schütz, J. U. D. Consiliarius, Academiae Pro-Cancellarius, & Professor Primarius, c. 5. lib. 2. feud. Qual. jurat. deb. vassall. explicandum assumet, ex eòq; de Fidelitate, quam vassallus, subditus, domesticus Dominis suis, aliisque aliis, vel ipso jure, vel ex pacto debent, per quæstiones scitu dignas & utiles tractabit. Collegium quoq; de statu Rei Romanæ publicum continuabit.*

*Johannes Breidenbach, J. U. D. Illustrat. ac Celsissimi Hassiæ Landgravii GEORGI, &c, Consiliarius & Professor, Mandatorum Cameralium materiam aggredietur.*

*Johannes Gualtherus, J. U. D. Consil. & Professor Codicis, in ordinariis suis prælectionibus in Codicem, perget.*

*Johannes Kornmannus, J. U. D. Consiliarius & Pandectarum Professor, in explicandis utilioribus Digestorum legibus progredietur.*

Collegia quoq; disputatoria publica & privata pro studiosorum desiderio & petitione aperiet.

*Gregorius Tülsnerus, J. U. D. Consil. & Prof. Ord. ex Libro II. Institutionum Imperialium, materiam successionis testamentariæ publicè continuabit. Privatim vero Collegium explicatorium absolvet, & Disputatorium, pro studiosorum petitione, rursus aperiet.*

IN FACULTATE MEDICA.

*Joh. Daniel Horst, D. Consultationes Medicas eò, quo cepit, modo continuabit.*

*Johann. Telemannus, J. & Med. Prof. p. r. Decanus, publicè ad Lektionen suas Hyemales perget de cognitione Humani corporis, ejusque partium, & Anatomica & Pathologica: Privatim quoq; petitionibus suam spondet operam.*

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

*M. Theodorus Victor, Prof. Græc. emeritus, etsi post multos Prof. annos, ab Illustrissimò Principe, D. GEORGIO, Hassiæ Landgravio, &c, rûde donatus, dæcepse non legat: Tamen usu sic flagitante, suo etiam loco satisfacere.*

*M. Conradus Bachmannus Misjungenfis Hessus, una cum Ilioneo Regem Latiuum accedet, sudq; Herol & reliquis Trojanis domicilium & fixam sedem peret, quibus impetratis, etiam furorem Junonis, insaniam Amatae, agrestium pastorum, propter cervi cicuris vulnerationem, hostilem conflictum, atq; duorum rusticorum cædem, & si quæ alia, una cum studiosis auditoribus, sine damno tamen & incolumes perlustrabunt. Profutura hæc legentibus erunt, & audientes delectabunt.*

*M. Caspar Ebel, Log. & Metaphys. Profess. Ordinarius, publicè explicationem regularum Logicarum de enunciatione continuabit, Collegium Metaphysicum publicum absolvet, & privatim Philosophica theoretica, pro auditorum & studiosorum desiderio, aperiet, omnia dirigente altissimo.*

*Johan. Balthasar Schuppins, S. Theol. Licent. Eloquent. & Hist. Profess. & ad D. Elisab. Pastor, publicè instituet varios actus Oratorios; privatim Promum Condum suum petentibus explicabit, aut aliis Auditorum votis se accommodabit.*

*Joh. Conradus Dietericus, G. L. Prof. Eunapii Sardiani vitas Philosophorum & Sophistarum enucleabit. Deinde Phrasologia sacra & profana parallelismos continuabit. Aperiet etiam Collegia Græca ex cujusvis arbitratu.*

*Balthasar Mentzerus, S. Th. D. & Moral. Prof. Ordin. Publicè ad finem perducta Quæstionum Moralium explicatione, Doctrinam Politicam auspiciabit. Privatim Politicam Christianam, XII. Exercitationibus comprehensam, proponet ventilandam, additis Collegiis aliis Ethico-Politicis. Aperiet etiam Collegium Theologicum.*

*Jacobus Le Bleu, J. U. L. Linguarum Exoticarum Professor Ordinarius & Academiae Syndicus, in prælectionib. Gallicis, Publicè Martialis Arverni arrepta amorum, In Italicis, La Schiava, comœdiã elegantissimã explicando continuabit. Privata etiam Collegia, pro lubitu Studiosorum, aperiet.*

*Joh. Daniel Horst, D. Physicam specialem publicis prælectionibus absolvet. Privatim vero Collegia lectoria & Disputatoria ad lubitum Auditorum habeat.*

*M. David Christiani Pomer, Mathem. Profess. Ordin. sequente semestri Geometriam & Arithmeticam explicabit. Privatim Collegia Arithmetica, Geometrica, Astronomica, Astrologica & Geographica, ad vota Studiosorum, aperiet.*

*M. Conradus Marthius, Philologo-Criticis Professor publicus, continuabit pro more suo, si Deo complacuerit, publicè explicando Alexandrum suum ab Alexandro, in libro, qui jam desit, quinto dierum genialium; Privatim vero Collegium porro Agellicum illud, quod prius in zitate institueret voluit, aperiet una cum exercitiis aliis Philologo-Historicis, Poeticis & Oratoriis.*

MARPURGI, Typis Josephi Dieterici Hampelii, Academiae Typographi. M. DC. XLIV.

*[Handwritten signatures and notes at the bottom of the page, including names like 'Joh. Henricus Tonsor' and 'Joh. Daniel Horst']*